DE

AURELIO PRUDENTIO CLEMENTE

HORATII IMITATORE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS BREIDT

PFORZEMENSIS

HEIDELBERGAE

IN AEDIBUS C. WINTERI

MDCCCLXXXVII

CAROLO REUSS

GYMNASII PFORZEMENSIS PROFESSORI
MAGISTRO OPTUMO

D. D. D.

Aurelius Prudentius Clemens Calagurritanus[1], poetarum christianorum facile princeps, eis fuit temporibus, quibus iam labante lingua Latina priscorum poetarum Romanorum vestigia dudum deseruerant posteri. Non solum priorum saeculorum ingenium desideratur, sed ipsa etiam lingua depravata erat vel maxime. Quod praecipue cognoscitur in illorum temporum re metrica: syllabarum quantitatem non iam curabant, accentus verborum solos respiciebant; quod maxime factum est in carminibus sacris, quae a christianis poetis componebantur canenda in Dei cultu. Quod si respicimus, eo magis laudandus est Prudentius, qui poeta christianus limatiore ingenio praeditus in carminibus suis non solum Hilarium Pictaviensem, Damasum summum pontificem, Ambrosium Mediolanensem, Augustinum, qui proximi ei erant, imitatus est, sed enixe operam dedit, ut neglectis saeculi moribus priscorum poetarum vestigia premeret. Itaque usus est in carminibus pangendis non solum eis metris, quibus plerumque utebantur illius temporis poetae christiani in hymnis componendis, dimetris iambicis et acatalecto et catalectico, ut in carminibus Cath. I, II, XI, XII, Perist. II, V, VII, Cath. VI, sed saepius etiam Horatianis metris; quae quomodo tractaverit, iam exposuerunt Faguetus, de Prud. carm. lyr. Burdigalae 1883, et Krenkelius, de Prud. re metrica, Rudolst. 1884: quibus cum non habeam, quod addam, obiter id solum

[1] Calagurritanum appellavi poetam, cum recte disputasse putem Faguetum, qui ex versibus 115 sq. primi hymni et 31 sq. quarti hymni libri Peristephanon et quod Calagurris, obscuri oppidi, obscuri martyres primo loco hymnorum celebrantur, Calagurrim Prudentium suo iure sibi vindicare existimavit. Quibus addam liceat, quod versibus 5, 7, 10, 12, 13, 14, 52 iterum iterumque Calagurris praedicatur pronomine demonstrativo adhibito vel adverbiis inde derivatis. Iam accedit, quod hymno VIII Perist. celebratur locus Calagurritanus, ubi martyres supplicia passi sint. Quae cum ita sint, persuasum habeo, Prudentium natum esse Calagurri.

commemorem, arctius cohaerere cum Horatio duos locos Sapphico metro compositos, qui leguntur apud

Horatium:	Prudentium:
[Sch.] c. I. 2. 4:	Cath. VIII. 40:
Dextera sacras iaculatus arces	Inde purgatam revehens aprico
Terruit urbem,	*Reddit* ovili:
Terruit gentes, grave ne rediret.	*Reddit* et pratis viridique campo.
	Perist. IV. 116:
	Sola tu morti propriae superstes
	Vivis in orbe
	Vivis ac paenae seriam retexis.

Praeterea ex metris Horatianis apud Prudentium inveniuntur haec: Asclepiadeum primum Cath. V, trimeter iambicus Cath. VII, Archilochium quartum Perist. XII, XIII. Etiam hendecasyllabis Alcaicis usus est Perist. XIV, sed ita, ut totum carmen ex hoc uno metro compositum sit. Quomodo Prudentius metrum accomodaverit carminum sententiis, exposuerunt Ebertus, 'Literatur d. Mittelalt. i. Abendl.' I. et Faguetus. Neque vero putaveris omnino non affectum esse Prudentium usu dicendi, qui eius temporibus vigebat, nihil recessisse ab exemplis eorum poetarum, quos vocamus classicos. Saepe apud eum quantitatem syllabarum neglectam invenimus in eis verbis, quae ex lingua Graeca deprompsit, in nominibus propriis et Latini et Graeci et Hebraici sermonis. Neque vero in talibus solum, sed etiam in tritis verbis Latinis peccavit contra usum poetarum veterum. Ex quibus nonnulla sane corrigenda sunt ex auctoritate optimi codicis Puteanei, velut Apoth. 425 cum codice illo scribendum est:

Vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus,

cum reliqui praebeant:

Vesper habet, roseus et quem novus excipit ortus.

Minime enim interpolatores vel editores hoc excogitaverunt, ut dicit Krenkelius, sed codex antiquissimus hanc scripturam optimam praebet. Qui accuratius inquirere vult in has res, conferat dissertationes Fagueti et Krenkelii.

Sed minime in adhibendis metris solum Prudentius Horatium secutus est, saepissime etiam singuli carminum loci ita conformati sunt, ut dubium nullo modo esse possit, quin referendi sint ad hunc illumve locum Horatii, quod maxime cadit in

libros Cathemerinon et Peristephanon, quippe qui compositi sint metris lyricis: quamquam ne in hexametricis quidem carminibus tales loci raro inveniuntur. Quos omnes hoc opusculo mihi colligendos proposui.

Cum eorum, quos prolaturus sum locorum, partem quandam viri docti ante me ad Horatium referendam esse vidissent, Bentleius, Dillenburgerus, Peerlcampius, Kellerus, partem me non neglegere iussisset benigne optimus professor noster Fridericus Schoellius, cum in seminario philologico Heidelbergensi in hanc rem inquirerem, illos locos ita in hoc opusculo signavi, ut apponerem primam nominum litteram uncis inclusam.

Iam ad rem ipsam transeam. Ac primum eos locos tractem, de quibus est quod paulo amplius disputemus, tum eos, quos certo consilio adhibuisse Prudentium paucis demonstrandum est, denique eos enumerem, quibus nihil habeo quod addam.

I.

Horatius.	Prudentius.
[B.] c. III. 27. 59: Potes hac ab orno Pendulum *zona* bene te secuta *e-lidere collum.*	Perist. X. 1108: *Elidit* illic *fune collum* martyris Lictor nefandus.

Quo loco Prudentii suo iure usus est Bentleius ad firmandam sententiam, ex qua cum quibusdam Horatii codicibus scribendum putat «e-lidere collum». Neque enim bene facere mihi videtur Kiesslingius, cum contendat verba poetae ita intellegenda esse, ut dicat: Europen veritam esse collum pulchrum foedare, unde acerbam per ironiam adhibuerit locutionem «laedere collum», quam exhibent reliqui codices. Nam hanc explicationem excludit 'potes' verbum: contra sensus loci dilucidus et concinnus est, si scribimus «elidere». Facile intellegitur, quo quis inductus sit, ut «laedere» coniceret, nempe ut vitetur diremptum verbum «e-lidere», in quo haerendum non esse demonstravit Bentleius. Etiam Prudentii exemplum multo maioris aestimandum est quam reliquorum omnium, quos afferunt Bentleius Peerlcampiusque, quod hunc permultis aliis locis Horatium aperte secutum esse videmus.

[B.] c. I. 34. 5:

Consultus erro, nunc *retrorsum*
Vela dare atque iterare *cursus*
Cogor *relectos*.

Apoth. 1003:

Quid, cum sanctiloquus revoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
Corpore, perque atavos *cursum relegente* vetustos?

Controversia exorta est inter Bentleium et Peerlcampium, cui accedit Kellerus, utrum possint referri necne Prudentii verba ad Horatium, cum Horatii omnes codices exhibeant «cursus relictos»; sed Nic. Heinsius et Bentleius coniecerunt «cursus relectos», cum hic diceret: «Iterare relicta maria, vestigia, vias, spatia recte quidem dixeris: cursus autem, cum non ipsa via sit, sed per viam decursio, non dixeris cursus relictos, sed intermissos». Firmatur Bentlei coniectura eo, quod in Horatii codicibus haud raro litterae I et E confunduntur, et quod «relectos» scriptura est multo exquisitior. Per prolepsin cursus relecti dicuntur, qui relegendi sunt. Facillime fieri potuisse, ut ipsam hanc exquisitiorem scripturam cum non intellegeret, mutaret librarius in verbum tritum relinquendi, apparet inde, quod in loco quodam Ovidii Metam. VIII. 172:

Utque ope virginea nullis iterata priorum
Ianua difficilis *filo* est inventa *relecto*,

codicum pars ipsum illud «relicto» falso praebet. Nec quisquam facile dixerit, quomodo explicandum esset, quod Prudentius illo loco, qui sine dubio Horatium redolet, verbo relegendi usus est. Cogitari sane potest eum Vergilii exemplum secutum esse, quod exstat Aen. III. 690:

Talia monstrabat *relegens* errata *retrorsum*
Littora Achaemenides.

Nam quamvis ille locus Vergilii suspicionem interpolationis moveat, tamen fieri potuit, ut Prudentii aetate iam in Vergilii textu legeretur. Quod etiamsi factum esse concedamus, tamen eodem fere res redit, cum vix dubium esse possit, quin ex ipsa imitatione Horatii locus spurius ab interpolatore conformatus sit. Quae cum ita sint, Peerlcampi et Kelleri argumentis nihil aliud demonstrari puto quam «cursus relictos» fortasse defendi aliquo modo posse, neque tamen ab eorum partibus standum esse.

Horatius.	Prudentius.
c. II. 1. 5:	Ham. praef. 17:
et arma *Nondum expiatis tincta cruoribus.*	Mundum recentem *caede tinguit* inpia *Sero expiandum*, iam senescentem sacro Cruore Christi, quo peremptor concidit.

Quae scriptura Horatii a Bentleio ex coniectura reposita est, cum codices exhibeant «uncta». Bentlei argumentatio: «Uncta enim cruore arma vix dici potuerunt, nisi statim a proelio et caede, priusquam tergerentur: tincta vero etiam diu postea manserunt, quia macula, quae semel penitus insederat ferro, ablui non poterat» mihi prorsus probatur: qui si memoria tenuisset hunc Prudentii locum, sine dubio recepisset primum in numerum aliorum, quos affert ad coniecturam suam firmandam. Kellerus quidem dicit: «Doch glaube ich nicht, dass die Ueberlieferung anzutasten ist. Denn auch des Horaz erklärter Nachahmer, Silius Italicus, scheut sich nicht zu sagen:

hostilique *unguere* primus
Tela *cruore*».

Sed hoc versu ex Bentlei sententia «unguere» suum locum habet; eo vero quem tractamus loco apparet Prudentium veriorem Horatii testem esse quam Silium Italicum. Itaque ut multis aliis locis firmatur illius testimonio codicum scriptura, sic hoc loco ex eiusdem imitatione mutandam puto.

Horatius.	Prudentius.
c. s. 26:	C. S. II. 303:
Vosque veraces cecinisse, Parcae, Quod semel dictum *stabilis per aevum* Terminus servet, bona iam peractis Iungite fata.	Roma antiqua sibi non constat, *versa per aevum* Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis:

Ita restituit Bentleius Horatii scripturam ingeniosa coniectura, cum reiceret verba tradita «stabilisque rerum» hanc ob

causam: «Quorsum amabo illud ‚semel'? Quam vim, quam elegantiam habet? nullam, opinor, ut quidem hic nude positum et destitutum est: nisi sequatur aliquod epitheton, quod iacentem sensum exsuscitet, quod *semel* dictum sit, et *semper* stabile permaneat. Neque vero illud, si sapiam, laudaverim, ‚stabilis rerum terminus servet'. Quidnam obsecro ille servet? Nihil. Nihil enim hic sequitur, quod servandum esse intellegamus. Hisce omnibus difficultatibus si levi verborum mutatione occurrere potero, ecquis est adeo duri et feri ingenii, ut conatibus nostris si non faveat et applaudat, aequum saltem et candidum se non praebeat? Sic itaque emendo:

Vosque veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum stabilis per aevum
Terminus servet, bona iam peractis
Iungite fata.

Quam coniecturam firmabat versibus cum aliorum tum Prudentii Ham. 660:

Excitat e tumulis homines regnique *per aevum*
Participes iubet esse sui.

Perist. X. 83:

Ut se *per aevum* consecrandos autument.

Non meminerat vir prudentissimus Bentleius locum illum Prudentii, quem supra apposui: qui omnem mihi removere videtur dubitationem; nam luce clarius est, illis verbis Prudentium repugnare Horatio: Romam Prudentius per temporum seriem mutatam dicit, cuius fata semel stabilita a Parcis nihil immutari nec moveri Horatius cecinerat; verba Prudentii accurate respondent Horatii verbis neque aliter explicari apte potest, qui factum sit, ut hoc ipso loco Prudentius his verbis hanc sententiam proderet.

Horatius.	Prudentius.
[B.] Sat. II. 4. 19:	C. S. I. 127:
Nec gallina malum responset dura palato, Doctus eris vivam *musto mersare Falerno.*	Atque avidus vini multo se proluit haustu, Gemmantis paterae spumis *mustoque Falerno* Perfundens biiugum rorantia terga ferarum.

Prudentii memoria nisus egregie coniecit Bentleius «musto mersare Falerno» pro traditis verbis «misto mersare Falerno». Quem quamquam non omnes secuti sunt editores, sine dubio verum vidit; «misto» enim hoc loco Horatii intellegi non potest, cum nihil dicatur, quocum tandem mistum sit vinum Falernum.

Horatius.	Prudentius.
[P.] c. III. 3. 66:	Perist. II. 416:
Ter si resurgat *murus* aheneus	O factor orbis et poli
Auctore Phoebo, ter pereat meis	Atque *auctor horum moenium!*
Excisus Argivis.	

In his verbis Horatii multi haesitabant, cum putarent, scripturam trium codicum, qui praebent «ductore», praeferendam esse allatis locis, ubi dicitur «muros ducere». Sed recte Bentleius negavit inde sequi, etiam «ductor murorum» dici posse; traditam scripturam multis exemplis firmare conatus est: memoria non tenuit illud Prudentii, quod attulit Peerlcampius, quod summi momenti est.

[Sch.] c. I. 6. 1:	Perist. III. 136:
Scriberis Vario fortis et hostium	*Scriberis* ecce *mihi* Domine,
Victor, Maeonii carminis *aliti*,	Quam iuvat hos apices legere,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis	Qui tua, Christe, tropaea notant.
Miles te duce gesserit.	
Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem	
Pelidae stomachum — — —	

Hoc loco codices omnes Horatii exhibent «alite», quod mutaverunt complures editores in «aliti», alii conati sunt per ablativum absolutum explicare, Kellero est «ein instinctmässig richtiger Instrumentalis!» Sed mihi tradita scriptura omnino ferri non posse videtur ob eas causas, quas post alios attulit Kiesslingius. Etenim neque pro ablativo absoluto neque pro alio ablativo haberi potest «Vario — alite» propter structuram verborum, quae ea est, ut aliter intellegi non possint nisi per appositionem verba «Maeonii carminis alite»; unus quisque «Vario»

pro dativo intellegit, si nondum legit versum insequentem, ubi subsequitur «alite» codicum. Sed talem constructionem nemo scriptor Latinus umquam admisit; neque recte servareretur, traditum «alite» si servaremus, oppositio inter Varium et Horatium. Iam accedit Prudentii illud exemplum, quod firmat mutationem tam lenem quam necessariam.

HORATIUS.

[B.] epod. XII. 25:

O ego *non felix,* quem tu fugis, ut pavit acres
Agna lupos capreaeque leones.

PRUDENTIUS.

Perist. V. 42:

Audesne, *non felix,* ait,
Ius hoc deorum ac principum
Violare verbis asperis?

Charisius et pars codicum exhibent Horatii verba «o ego infelix». Quod glossema esse lectionis exquisitioris «o ego non felix» per se facile intellegitur; idque firmari hoc Prudentii exemplo vidit Bentleius.

HORATIUS.

c. III. 27. 39:

Vigiliansne ploro
Turpe conmissum an *vitiis carentem*
Ludit imago
Vana?

PRUDENTIUS.

Cath. III. 140:

Sed Deus ipse, gerens hominem
Corporeisque *carens vitiis.*

Horatii quae omnium codicum sunt verba Bentleius mutare vult, cum dicat: «Quibusnam obsecro vitiis? Sine dubio corrigendum est vitio. Vitium est stuprum, ut passim apud Plautum et Terentium.» Sed quis tandem probarit stuprum necessario intellegendum esse, quis solum? Iam si ipsius puellae verba respexeris, facile concedes meo iure me intellegere verbo «vitiis» relictum filiae nomen, pietatem furore victam; ad quae optime refertur pluralis numerus, ut omittam a poetis saepius pluralem pro singulari poni in rebus, quarum notio augeatur vel quarum singulae partes respiciantur. Velut apud Ovidium legimus Metam. X. 197:

videoque tuum, mea crimina, vulnus.

Iam vero accedit, quod dubium non videtur, quin Prudentius hanc Horatii locutionem expresserit illo versu, quem commemoravi. Quod eo magis affirmaverim, quod alterum quoque eiusdem carminis Horatii locum secutus est, quem supra iam protuli Perist. X. 1108: Elidit illic fune collum martyris lictor nefandus.

HORATIUS.	PRUDENTIUS.
[B.] c. s. 53:	Cath. VI. 85.
Iam mari terraque *manus potentes*	Huius *manum potentem*
Medus Albanasque timet secures.	Gladius perarmat anceps.

Quo loco Bentleius traditam Horatii scripturam et Porphyrionis testimonio firmatam male mutavit in «manum potentem» nixus cum aliorum compluribus locis tum hoc Prudentii; quae mutatio ex Prudentio defendi non potest, cum ille non solum Horatium spectaverit, sed etiam alterius loci quodammodo recordatus sit, qui legitur N. T. Apocal. I. 16: καὶ ἔχων ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ αυτοῦ ἀστέρας ἑπτὰ καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα ἐκπορευομένη κτλ., quod e vulgata versione sic legitur: et habebat in dextera sua stellas septem et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat etc.

[P.] c. II. 20. 21:	Cath. XI. 34:
Absint *inani* funere *neniae*	Nam caeca vis mortalium
Luctusque turpes et querimoniae.	Venerans *inanes nenias*
	Vel aera vel saxa algida
	Vel ligna credebat Deum.

Peerlcampius mutavit Horatii verba in:

Absint inan*es* funere neniae,

et ad firmandam sententiam attulit Prudentii locum unum, qui exhibeat «inanes nenias», cum aliis locis, quos contulit, inanes dicantur luctus vel munera, non neniae. Sed ex hoc Prudentii loco minime effici potest, Prudentium «inan*es* neniae» in Horatii carmine legisse: nam locus ita conformatus est, ut sensus prorsus alius sit apud Prudentium, alius apud Horatium: Poeta christianus, qui deas esse Nenias negavit, gentilem poetam

quodammodo impugnat, quare facile fieri potuit, ut immutaret Horatii verba, quod eum saepius fecisse infra videbimus. Qui legit:

Absint inani funere neniae

facile induci potuit, ut adiectivum «inanis» coniungeret cum neniis ad efficiendum sensum plane alium. Sed Prudentii praecipue loco Peerlcampium inductum esse puto, ut coniecturam proferret; quo cum niti non possit, videamus, quid ex ipsis Horatii verbis efficiendum sit, num verba tradita ferri possint. Poeta dicit, se non longius in terra moraturum, urbes hominum relicturum esse, alitem aethera petiturum. Quod si fit, amicis non relinquitur corpus sepeliendum, sine corpore funus agendum est, nam agendum est certe; quod funus suo iure dicitur «inane». neque tam crassa est metamorphosis, ut dicit Peerlcampius, sed ex ipso carmine hic sensus prodit, qui optime quadrat.

Horatius.	Prudentius.
[Sch.] c. I. 16. 14:	Cath. XI. 51:
Fertur Prometheus *addere principi*	Hic ille natalis dies,
Limo coactus *particulam* undique	Quo te creator arduus
Desectam et insani leonis	Spiravit et *limo indidit*
Vim stomacho adposuisse nostro.	Sermone carnem glutinans.

Prudentii interpretes vario modo explicare conati sunt verbum limi, velut Obbarius cogitavit de cingulo, quo servi publici cingebantur obliqua purpura; sed ex loco Horatii apparet verbum limi intellegendum esse de ea materie, ex qua hominum corpora facta sunt, de viliore hominis parte: quae sententia firmatur his locis Prudentii:

Cath. VII. 191:

Miratus hostis, posse *limum tabidum*
Tantum laboris sustinere ac perpeti.

Cath. VIII. 61:

Ergo ne *limum fragilem* solutae
Deserant vires — — —

Apoth. 828:

Intravit germana domum *limique recentis*
Hospita et ipsa recens fraterna sedit in aula.

Apoth. 902:

Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quae conlata *rudem* fecit viviscere *limum*.

Prudentium vero omnino recordatum esse Horatii versus, demonstrat hic locus: Ham. 280:

Quid? quod et ipse caput muliebris corporis et rex,
Qui regit invalidam *propria de carne resectam*
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum: — — —

Sed in loco Horatii offendit Iulius Scaliger, cum diceret Prometheum hoc non coactum fecisse. Bentleius concedit, consulto hominem formasse dici Prometheum, non alterius iussu et imperio; mutationem probat, si quis a Scaligeri partibus stet:

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactam particulam undique;
Desectam et insani leonis
Vim stomacho adposuisse nostro.

Sed nulla est ratio, si id quod recedit a reliquorum scriptorum fabulis, in Horatii carminibus mutamus. Neque dici potest desecare vim leonis, ut res, quae omnino sensui subiecta non est, coniungatur cum verbo, quod eam praedicat actionem, quae fieri non potest nisi in rebus visu tactuque manifestis; contra optime dici potest desecare particulam alicuius rei. Ac minime participium «coactus» ita explicandum est, ut sit idem atque iussu vel imperio alterius cuiusquam, sed ita intellegenda puto Horatii verba: quod effingere volebat hominem, coactus erat Prometheus ex aliis animalibus desecare singulas partes, cum omnibus illis factis limus ei deesset ad hominem fingendum. Itaque vel omisso Prudentii loco, qui summi momenti est, non dubitaverim Scaligeri mutationem reicere; neque operae pretium est refutare sententiam Peerlcampi, qui quae ei non conveniunt, pro interpolatis vendit.

Horatius.	Prudentius.
[B.] c. IV. 15. 15:	Apoth. 425:
Per quas Latinum nomen et Italae	Audiit adventum Domini, quem solis Hiberi

HORATIUS.
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas *ad ortus*
Solis ab Hesperio cubili.

PRUDENTIUS.
Vesper habet, *roseos* et qui novus excipit *ortus*.
(Ex scriptura cod. Put. cf. p. 2.)

Pauci Horatii codices inferioris momenti hoc loco praebent «ortum». Utrumque suos auctores habere dicit Bentleius, sed ipse «ortum» probat, ne toties sibilet litera S in hoc versu. Sed hac ratione duci non debuit vir doctissimus, nam etiam in aliis versibus litera S ter vel quater sibilat, velut huius carminis versu 25:

Nosque et profestis lucibus et sacris.

Neque quidquam lucrari possumus ad Bentlei sententiam firmandam ex altero Prudentii loco, qui legitur Perist. XIII. 102:

Nec Libyae populos tantum regit, exit usque *in ortum*
Solis et usque obitum,

cum prior traditam Horatii scripturam firmet.

HORATIUS.
[B.] c. III. 23. 12:
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, *pontificum secures*
Cervice *tinguet:*

PRUDENTIUS.
Apoth. 461:
Pontificum festis ferienda *securibus* illic
Agmina vaccarum steterant vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.

Horatii verba in codicibus fluctuant inter «securim» et «secures», sed ita, ut meliores testes, in quibus Porphyrio, «secures» exhibeant. Tamen Bentleius «securim» recepit, ut ipse dicit «vel ob euphoniam, ne ter continenter in S exeant versus.» Prudentii locum afferens dicit ibi plures vaccas fuisse, apud Horatium unam victimam esse: quod recte monet, neque Kellerus affirmare debuit plures victimas dici, cum statim sequatur:

te nihil attinet,
Temptare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Neque vero Bentleium recte pressisse puto numerum vaccarum: premendus mihi videtur numerus pontificum, qui est pluralis. Si pontifices dicuntur plurali numero, insignia eorum, quae unicuique propria sunt, et ipsa plurali numero poni potuerunt; si legeretur «pontificum securim», quod etiam Kiesslingius in textum recepit, eodem iure atque Bentleius in tradita scriptura offendebat, desideraret aliquis singularem numerum etiam genetivi: «pontificis securim». Quae scriptura non magis desideratur quam a Bentleio recepta. Neque quidquam probare potest locus, quem Bentleius attulit Verg. Aen. II. 223:

Quales mugitus fugit cum saucius aram
Taurus, et *incertam* excussit cervice *securim.*

Nam hoc loco loquitur poeta de tauro securi iam icto, sed male icto; ubi quisnam cogitare potest de pluribus securibus? neque hoc loco significantur pontifices.

Atque etiam Prudentium plurali numero usum esse puto ob pontificum, non vaccarum numerum pluralem.

Similiter conformatus est locus Prud. Psych. 402:

Sed quia paenituit, nec lacrimabilis illa est,
Nec *tinguit* patrias sententia saeva *secures.*

HORATIUS.

[D.] sat. II. 3. 183:

Latus ut in circo spatiere *et aheneus ut stes.*

PRUDENTIUS.

C. S. I. 102:

Ecce deum in numero formatus *et aeneus adstat*
Graius homo augustaque Numae praefulget in arce.

Quo loco nullo modo dubitari potest, quin apud Prudentium verbum «aeneus» per tres legendum sit syllabas; quod Dillenburgerus etiam in Horatium inferre voluit, cum codicum quorundam scripturam «aut aeneus ut stes» reciperet: perperam, ut mihi videtur: nam recte Bentleius dixit posterioribus demum saeculis adiectivum «aeneus» per tres syllabas pronuntiatum esse et inde ortam esse mutationem in Horatii textu, qua traditum «et» in «aut» mutatum sit ab eo, qui non iam per quattuor syllabas legeret vocabulum; quamquam «et» potius satisfaciat sensui quam «aut». Quin vero Prudentius revera hunc locum

imitatus sit, minime dubitandum: nam iam illius temporibus cum multum corruptae fuerint syllabarum quantitates, et immutatum legere potuit Horatii versum et ad suae aetatis morem ipse revocare.

Horatius.

[Sch.] c. I. 3. 26:

Audax omnia perpeti
Gens humana *ruit per vetitum nefas.*

Prudentius.

C. S. I. 173:

Sed Venus augusto de sanguine femina vili
Privatoque viro *vetitum per dedecus* haesit.

Apud Horatium complures offenderunt in verbis «vetitum nefas» et I. Bartschius proposuit mutationem: «perpetuum in nefas». Qua mutatione esset lenior, si Prudentii Perist. XIV. 103:

Argenti et auri vim rabida siti
Cunctis petitum *per varium nefas,*

ad Horatii contextum sic revocares:

Gens humana ruit *per varium nefas.*

Sed prior ille Prudentii locus traditam Horatii scripturam firmat neque magis tribuendus est versus grammatico, ut vult Peerlcampius; nam locutiones vetitum nefas et vetitum dedecus proxime sese attingere facile omnes concedent. Praeterea conferendus est locus Prud. Perist. X. 515:

Carnis voluptas *omne per nefas ruit.*

Horatius.

[B.] c. I. 3. 19:

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit *mare turgidum* et
Infames scopulos, Acroceraunia?

Prudentius.

Perist. V. 475:

Quae *turgidum* quondam *mare*
Gradiente Christo straverat.

Bentleius, qui novit Prudentii versum, praetulit «mare turbidum», cum fortius epitheton esset, et dubitavit, an apud Prudentium quoque reponendum esset, quod multo plura exempla poetarum hoc firment quam illud. Horatii codices pari modo et hoc et illud tuentur; praeter Prudentium Avienus solus eodem

adiectivo «turgidus» usus est in mari appellando. Ex his causis rationi criticae magis respondere mihi videtur, ut accipiamus pro genuina Horatii scriptura illud «mare turgidum», vel ob eam causam, quod facile explicatur, quomodo librarii in Horatii codicibus describendis aberraverint in tritius illud verbum, quod tot poetis usitatum est, quam quomodo contrarium factum sit. Neque proprietate verbi ita praestat velut οἴδματι κῦμα, ut hac de causa Prudentium, aliis locis optimum Horatii testem respuamus aut adeo eius verba ex coniectura mutemus.

Horatius.	Prudentius.
c. I. 25. 2:	Perist. X. 116:
Parcius iunctas quatiunt fenestras	Tundatur, inquit, terga *crebris ictibus*
Iactibus crebris iuvenes protervi.	Plumboque cervix verberata extuberet.

Quem locum Prudentii si memoria tenuisset Bentleius, sine dubio attulisset ad suam sententiam firmandam, ex qua tamquam Horatianam defendit scripturam «ictibus crebris». Sed multo plures et meliores testes inter codices habet lectio «iactibus crebris», quae per se optime ferri potest: nam quod recte intellexit Cruquius, iaciunt iuvenes lapides ad fenestras puellarum, ut eas e somno suscitent et aditum sibi parent. Quid vero de Prudentii versu statuamus? Scilicet imitatus est Prudentius eodem studio atque Horatium Vergilium, qui scripsit Aen. XII. 713:

tum *crebros* ensibus *ictus*
Congeminant.

[B.] sat. II. 8. 95:	Dittoch. 45:
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis	Fervebat via sicca eremi *serpentibus atris.*
Canidia adflasset, peior *serpentibus Afris.*	

Horatii codices fluctuant inter «serpentibus atris» et «serpentibus Afris»; Bentleius illud recepit. Sed cum Canidia, Horatio perquam odiosa, cui aliis locis dirae veneficae detrectat,

hoc loco commemoretur, multo magis quadrat scriptura «serpentibus Afris», quod ab Afris potissimum serpentibus periculum metuendum erat propter venenum. Prudentium vero hoc quoque loco non Horatium, sed Vergilium secutum esse puto, qui scripsit Georg. I. 129:

Ille malum virus *serpentibus* addidit *atris*.

HORATIUS.

[B.] c. IV. 4. 15:

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam *lacte depulsum* leonem
Dente novo peritura vidit.

PRUDENTIUS.

Perist. X. 663:

Hanc ille sancti martyris vocem libens
Amplexus unum de caterva infantium
Parvum nec olim *lacte depulsum* capi
Captumque adesse praecipit.

In Horatio intolerabilem tautologiam deprendisse sibi visus est Bentleius, sibi visi sunt alii, et multi multa coniecerunt, quod dicatur leo: fulvae matris ab ubere iam lacte depulsus. Sed Horatius minime admisit tautologiam illam, leo enim dicitur iam lacte depulsus, de caprea intellegenda sunt verba «fulvae matris ab ubere», quae coniungenda sunt cum antecedentibus «laetis pascuis intenta», quippe quae a matris ubere remota sit, victum in pascuis quaerere debet. Prudentii verbis Horatii verba firmantur.

HORATIUS.

[B.] c. I. 9. 24:

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito *male pertinaci.*

PRUDENTIUS.

Praef. 14:

Exin iurgia turbidos
Armarunt animos et *male pertinax*
Vincendi studium subiacuit casibus asperis.

Hos versus conferens Bentleius scripserat: «Verum illic ‚male perti-nax' est praefracte et obstinate pertinax, apud nostrum, qui simulat, se pertinacem esse et tamen pertinaciam suam expugnari cupit.» Sed quod Bentleius dicit de hoc Pru-

dentii loco, recte se non habet, nam ut apud Horatium adverbium ‚male' negationis significationem adscivit, ita Prudentius quoque dolet, quod parum pertinax fuerit in se ipso studium recte faciendi et cupiditatum vincendarum. Omnino tota praefatio est confessio senis, qui summa cum paenitentia recordatur fervidae iuventutis, maximis vitiis obnoxiae; ad quem sensum optime quadrat notio adverbii ‚male', quam inesse supra diximus, minime quadrat, quam Bentleius inferre voluit. Quae significatio firmatur duobus aliis Prudentii locis, ubi haec dictio recurrit:

C. S. II. 454:

Adscribunt saxis Lachesis *male fortia* fila.

Apoth. 150:

Stulta superstitio tacuit, vox festa quievit,
Quae *male conspicuae* celebrabat imaginis aurum.

Male fortia Lachesis fila sunt, quod praemature absciduntur; male conspicua erat imago prae multitudine populi circumstantis.

Horatius.	Prudentius.
c. I. 3. 22:	Psych. 763:
Nequiquam deus abscidit Prudens Oceano *dissociabili* Terras, si tamen inpiae Non tangenda rates transsiliunt vada.	Quod sapimus, coniungat amor: quod vivimus, uno Conspiret studio: nil *dissociabile* firmum est.

Quo loco «dissociabilis» ita positum est, ut idem sit atque «dissociatus», contraria exempla cum frequentiora sint. Neque opus est Bentlei mutatione, qui scripsit «dissociabilis Terras»: nam recte Kiesslingius defendit traditam scripturam, cum diceret hoc loco premendum non esse, quod terrae inter se Oceano seiunctae essent, sed quod Oceanus seiunctus esset a terris, ut dixit Ovidius Metam. I. 21:

Nam caelo terras et terris abscidit undas.

Quae sententia firmatur loco altero, qui legitur Tac. Agr. III: Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit principatum ac libertatem.

Et ex illius loci analogia scripsit Prudentius Cath. XX. 72:

Tartarum benignus intrat, fracta cedit ianua,
Vectibus cadit revulsis cardo *dissolubilis.*

Quo loco recepi scripturam Puteanei codicis, Pragensis, Ratisbonensis, duorum Alexandrinorum, respui aliorum, qui exhibent:

Vectibus cadit revulsis cardo indissolubilis.

Cath. X. 149:

Sed dum *resolubile* corpus
Revocas, deus, atque reformas,
Quanam regione iubebis
Animam requiescere puram?

Horatius.	Prudentius.
[D.] c. IV. 4. 65:	Cath. IX. 18:
Merses profundo: pulchrior evenit.	*Merserat* quem lex *profundo* noxialis tartaro.

Hoc loco eam verborum explicationem, quae unice vera est, ut coniungantur verba «merses profundo», quam etiam Kellerus defendit, reiecit Kiesslingius, qui coniungendum esse putat «profundo evenit». Quod vel ex verborum collocatione vix ferri potest. Sententia vero loci clamitat, ut coniungamus «merses profundo», nam utrum profundum sit necne flumen vel lacus vel mare, quo mergitur, in ipso mergendo summi momenti est, minime vero in eveniendo; quo profundiore loco aliquid mergitur, eo maioris roburis est, evenire; si in eveniendo demum profundum dicitur, vis verbi prorsus infecta est. Huc iam accedit Prudentii versus, qui omnem removet dubitationem, isque insuper fulcitur duobus aliis locis, quos legimus:

Cath. VII. 113:

Praeceps rotatur et *profundo inmergitur.*

Apoth. 745:

Quod, cum te Christus penitus nigrante *profundo*
Inmersum vocat, ut redeas?

HORATIUS.
[K.] c. II. 18. 14:
Satis beatus unicis Sabinis.

PRUDENTIUS.
Cath. VII. 216:
Satis beatus quisque dextram porrigit.

Quo loco Horatii interpretes verbum «satis» varie intellexerunt. Madvigius putat habendum esse pro ablativo pluralis numeri substantivi «satum = Saat»; quod ferri non potest, ut demonstravit Kellerus, qui «satis» adverbium putat suo iure. Sed quod dicit eam ob causam Madvigii sententiam falsam esse, quod minorem partem fundi Horatiani sata fuisse putandum sit, hac re nihil demonstratur. Ex ipsis vero praecedentibus verbis Horatii apparet, «satis» adverbii loco positum esse:

nil supra
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.

Largiora non flagitat, cum satis ei sit unicum fundum Sabinum. Quae sententia multo magis convenit sermoni poetico quam Madvigiana. Neque quisquam dubitare potest, quin Prudentius eo loco, quem supra commemoravi, ubi «satis» nil nisi adverbium esse potest, Horatium secutus sit, cum praesertim accedat similitudo altera:

Deos lacesso, nec *potentem* amicum
Largiora flagito.

Inter *potentes* atque egenos ducere.

HORATIUS.
c. III. 8. 6:
Voveram dulces epulas et album
Libero *caprum*, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies *anno redeunte festus*
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

PRUDENTIUS.
Apoth. 350:
Pascha tuum dic, dic, cuius de sanguine *festum*
Tam sollempne tibi est? Quis tandem caeditur *agnus*
Anniculus, sacer ille tibi *redeuntibus annis?*

Falsus esse mihi videtur Kiesslingius, qui adnotat ad Horatii locum nos ex verbis «anno redeunte» colligere posse, unum annum tum praeteriisse ex illo die, quo periculum poetae imminuerit. Nam suo iure dicat quispiam ut unum, ita plures annos intellegi posse Horatii verbis «anno redeunte»: neque demonstrari potest Prudentium unum annum intellexisse, qui quod non certum quendam terminum respicit, plurali numero uti omnino debuit.

[B.] c. I. 4. 16:
Iam te premet nox *fabulaeque Manes*,
Et domus exilis Plutonia.

C. S. I. 191:
Et tot templa deum Romae, quot in orbe sepulcra
Heroum numerare licet, quos *fabula manes*
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.

Magna lis exorta est, quomodo intellegendum sit apud Horatium verbum «fabulae». Multi multa coniecerunt, sed ne longus sim, statim eam proferam explicationem, quam unice veram esse mihi persuasit optimus professor noster F. Schoellius in scholis Horatianis, ex qua vox «fabulae» habenda est pro nominativo pluralis numeri et ea notione adiungenda nomini «Manes», qua etiam Persii Prudentiique loci intellegendi sunt. Itaque fabulae Manes sunt manes, qui pertineant ad fabulam, quorum nomina memoriae atque historiae iam traditi sint, quos nos dicimus «berühmte Schatten». Quam explicationem primus Buechelerus in indice lectionum Bonnensium 1878/79 pag. 15 significavit magis, quam indicavit, cum scriberet: «certius scio, quod nil praeter nomen Sesti posteris tradidit, commodo eum inlustrasse exemplo vim manium fabularum». Quae verbi «fabula» notio optime convenit cum illo loco Prudentii, item convenit cum hoc:

Apoth. 1018:

Omne, quod est gestum, notus auferat inritus, aurae
Dispergant tenues, *sit fabula*, quod sumus omnes.

Quo loco fabulae verbo adhibito haec nostra vita opponitur verae illi caelesti, quod christiani consequi studemus.

Neque minus quadrat illa explicatio in geminum locum Persii V. 131:

Cinis et manes *et fabula fies*.

Quadrat etiam ad hunc Horatii, ep. I. 13. 9:

Cognomen vertas in risum *et fabula fias*,

ubi verbum fabulae ex conexu demum sententiarum induit sensum, qui idem est atque in ludibrium verti.

HORATIUS.	PRUDENTIUS.
[Sch.] c. III. 5. 49:	Perist. I. 47:
Atqui sciebat, quae sibi *barbarus* *Tortor* pararet.	*Barbaras* forum per omne *tortor* exercet *manus*.

Cum Prudentius altero loco Perist. IV. 121:

Barbarus tortor latus omne carpsit,

scripsisset, Weitzius priore loco mutavit:

Barbar*us* forum per omne tortor exercet manus.

Perperam, ut mihi videtur, nam barbarae manus tortoris dicuntur per metaphoram poetis satis usitatam, neque quod altero loco Prudentius Horatium secutus est, altero ab eo recedere non potuit.

[Sch.] c. II. 14. 1:	Cath. XI. 5:
Eheu fugaces, Postume, Postume, Labuntur anni.	*Heu* quam *fugacem* gratiam Festina volvebat dies.

Hoc loco Porphyrio cum paucis codicibus Horatii verba reddit «Heu fugaces»; sed meliores codices omnes praebent «eheu», quod saepissime depravatur in «heu» omissa prima litterula. Atque in hoc versu afferendo cum Porphyrionis testimonio non consentiunt testimonia Acronis et Servii. Neque Prudentii loco abuti poteris ad mutanda Horatii verba, cum non semper verbum verbo reddat, sed saepius immutet aliquid sua sponte.

II.

Horatius.	Prudentius.
c. I. 12. 25 sq.: Dicam et *Alciden puerosque Ledae*, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem.	C. S. I. 226 sq.: Illic *Alcides*, spoliatis Gadibus hospes Arcadiae fulvo aere riget; gemini quoque fratres, Conrupta de matre nothi, *Ledeia proles*, Nocturnique equites, celsae duo numina Romae Inpendent.
c. s. 33: Condito *mitis placidusque* telo Supplices audi pueros, Apollo!	C. S. II. 681: Vivo pie vobis auctoribus, inpia pridem Arte Iovis, fateor; quid enim non ille cruentum Tradidit, aut quid *mite* sibi *placidumve* poposcit?
c. I. 4. 8: dum graves Cyclopum *Vulcanus ardens* visit officinas.	Perist. II. 403 sq.: Et fac periclum, quid tuus *Vulcanus ardens* egerit.
c. III. 23. 3 sq.: Si *ture placaris* et horna Fruge *Lares* avidaque porca; Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis — — —	Perist. X. 261: Fuliginosi *ture placantur Lares* Et respuuntur consecrata oluscula.
c. II. 19. 8: Euhoe, parce Liber, Parce, *gravi metuende thyrso.*	Perist. X. 280: Putent ephebum post triumphos Indicos *Ferire thyrso posse*, cum sit ebrius.
c. III. 25. 20: Dulce periculumst, O Lenaee, sequi deum, *Cingentem* viridi *tempora* pampino.	Cath. III. 26: Sperne, Camena, leves hederas, *Cingere tempora* quis solita es!

His omnibus locis poeta Christianus paganorum deis acerbissime illudit, qua in re consulto repetit verba Horatiana, quo vim addat illusioni.

Horatius.	Prudentius.
c. III. 2. 32: *Raro* antecedentem scelestum Deseruit pede *poena* claudo.	C. S. II. 181: *Rara* reos iusta percellit *paena* securi.

Disertis verbis hoc loco Prudentius Horatium impugnat, cum dicat iustitiam non esse, ubi homines putent cum corpore totam vitam perituram esse; ex Prudentii sententia iustitia fieri non potest, nisi in christianorum civitate.

epod. XIII. 17: Illic *omne malum* vino cantuque levato.	Perist. XIII. 44: *Omne malum* volucri cum tempore transvolare cursim.

Poeta christianus sperat, post labores malaque huius vitae cruciamina se adepturum esse aeternae vitae lumen et diem perennem: gentili poetae nulla est requies laborum post mortem, omnia mala ibi esse ei videntur, ubi morti succumbit.

c. I. 19. 3, 7: Mater saeva Cupidinum Thebanaeque iubet me Semeles puer Et *lasciva* Licentia Finitis animum reddere amoribus. Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius; Urit grata *protervitas* Et voltus nimium lubricus adspici.	Praef. 10: Tum *lasciva protervitas* Et luxus petulans (heu pudet ac piget) Foedavit iuvenem nequitiae sordibus ac luto.

Apud Horatium quidem in verbis «lasciva Licentia» vituperatio non inest, immo quod gratam appellat puellae protervitatem, demonstrat se eam adamare: Prudentius, qui olim idem atque Horatius senserat, iam maxime abhorret a talibus rebus et verbis «lasciva protervitas» se ipse maxime vituperat.

Horatius.	Prudentius.
epod. V. 95:	Cath. VII. 20:
Et *inquietis* adsidens *praecordiis* Terrore somnos auferam.	Animusque *pigris* stertat ut *praecordiis*. (Quae scriptura codicis Puteanei recipienda est contra reliquorum codicum scripturam, qui praebent: in praecordiis.)

Pigra certo consilio appellat Prudentius eorum praecordia, qui animi salutem non curent, ut hoc verbo illos vituperet; quod factum non esset, si epitheton ab Horatio deprompsisset.

c. I. 24. 5:	Cath. X. 60:
Ergo Quintilium *perpetuus sopor* *Urguet?*	Fore protinus omnia viva, Quae nunc *gelidus sopor urguet.*

Gentili quidem Horatio perpetuus est sopor mortuorum, quos christianus poeta olim ab inferis resurrecturos credit; quam sententiam ut exprimeret, eodem adiectivo atque Horatius usus non est, sed facta mutatione quodammodo impugnavit Horatium.

ep. I. 3. 3:	Apoth. 428:
Thracane vos *Hebrusque nivali conpede vinctus,* An freta vicinas inter currentia turres, An pinguis Asiae campi collesque morantur?	Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas Vox evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas Solvit, ut *exutus glacie iam mollior* amnis Caucasea de cote fluat Rhodopeius *Hebrus.*

Horatio quidem Hebrus nivali conpede vinctus est, sed Prudentius videt solvi glaciem et molliter fluentem fluvium, si vox evangelica penetraverit usque ad eius ripas.

Horatius.	Prudentius.
c. III. 2. 12:	Psych. 110:
quem cruenta *Per medias* rapit ira *caedes.*	Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu, *Per medias* inmota *acies* variosque tumultus.

Insignis evadit oppositio inter Patientiam, christianorum summam virtutem, quae nihil movetur acie tumultibusque, et inter bellatorem leonis feritate saevientem, cuius ira non coercetur virtutibus hominum christianorum.

ep. I. 7. 44:
mihi iam non regia *Roma*,
Sed vacuum Tibur *placet*, aut inbelle Tarentum.

Perist. XI. 152:
Roma placet, sanctos quae teneat cineres.

Cum Horatio vitae suae requiem quaerenti Tibure vel Tarenti, Romae strepitus tumultusque displiceret, Prudentio placuit martyris cineres Romae, in urbe sancta, sepeliendos esse.

III.

In huis capitis seriem locos quosdam recepi, qui an revera ad Horatium referendi sint, dubium videatur: sed omittere nolui, cum invicem sese quoddammodo tueri possint exempla per se leviora.

epod. V. 94:
Quae vis deorumst Manium.

Cath. I. 49:
Quae vis sit huius alitis,
Salvator ostendit Petro.

Horatius.	Prudentius.
epod. V. 2: At o deorum quidquid in caelo regit Terras et *humanum genus*.	Cath. I. 55: Inlustret *humanum genus*. [Sch.] Perist. II. 204: Si quaeris aurum verius, Lux est et *humanum genus*. Perist. V. 46: Ius et sacratum et publicum, Cui cedit *humanum genus*.
c. I. 37. 26: Ausa et iacentem visere regiam *Vultu sereno*;	Cath. II. 68: Tu, rex, Eoi sideris *Vultu sereno* inlumina.
c. III. 6. 17: *Ver ubi longum* tepidasque praebet Iupiter brumas.	Cath. III. 103: *Ver ubi perpetuum* redolet.

Horatius.	Prudentius.
[D.] c. IV. 5. 5: *Lucem redde tuae, dux bone,* patriae.	Cath. V. 1 sq.: Inventor rutili, *dux bone,* lum nis, Qui certis vicibus tempora div dis, Merso sole chaos ingruit horr dum, *Lucem redde tuis,* Christe, fide libus! C. S. I. 618: summos inpertit honore *Dux bonus* et certare sinit cun laude suorum. Perist. III. 86: *Dux bonus,* arbiter egregius Sanguine pascitur innocuo.
c. I. 37. 13: Vix una *sospes* navis *ab ignibus.*	Cath. V. 135: Functorum populus *liber a ignibus.*
c. I. 28. 8: Tithonusque *remotus in auras.*	Cath. X. 43: Volucres *rapientur in auras.* Cath. VII. 31: Sed mox *in auras* igneis iu galibus Curruque *raptus* evolavit prae pete. Perist. XI. 65: Huic abscide caput, crux istum *tollat in auras!*
[Sch.] epod. V. 73: *Non usitatis,* Vare, potionibus, O multa fleturum caput, Ad me recurres. c. II. 20. 1: *Non usitata* nec tenui ferar Pinna biformis per liquidum aethera.	Cath. VII. 56, 58: *Non usitatis* ortus hic natalibus Oblita lactis iam vieto in pec- tore

Horatius.	Prudentius.
epod. XVI. 50: Refertque *tenta* grex amicus *ubera.*	Matris *tetendit* serus infans *ubera.*
c. IV. 2. 20: et centum potiore signis *Munere donat.*	Cath. VIII. 32: Cernit occultum Deus et latentem *Munere donat.*
	Psych. 603: ac tenues captivo *munere donat.*
c. I. 35. 3: O diva, gratum quae regis Antium, Praesens vel imo tollere de gradu *Mortale corpus*, vel — — —	Cath. XI. 45: *Mortale corpus* induit.
c. I. 12. 15: *Qui mare ac terras* variisque mundum Temperat horis.	Apoth. 153: *Qui mare, qui terras*, qui lucida sidera fecit.
sat. I. 6. 6, 45, 46: naso suspendis adunco Ignotos, ut me libertino *patre natum.* Nunc ad me redeo libertino *patre natum,* Quem rodunt omnes libertino *patre natum.*	Apoth. 271: Et conperpetuum retro Patris et *Patre natum.*
c. III. 12. 3: *Miserarumst* nec amori dare ludum neque dulci Mala vino lavere aut exanimari metuentes Patruae *verbera linguae.*	Apoth. 404: Agitant *miserum* tot *verbera linguae,* Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Horatius.	Prudentius.
sat. II. 4. 63:	Apoth. 952:
Est operae pretium, duplicis per- noscere iuris Naturam.	*Est operae pretium*, nebulos dogmatis umbram Prodere.
sat. II. 3. 274:	Apoth. 980:
Quid? cum balba feris annoso *verba palato*, Aedificante casas qui sanior?	morde, Ipse tuam lacero consumens *verba palato*.
sat. I. 5. 87:	Ham. 82:
Mansuri oppidulo, quod versu *dicere non est*.	Ex minimis sed grande suum voluit pater ipse Coniectare homines, quibus ar dua *visere non est*.
ep. II. 2. 45:	Ham. 84:
Scilicet ut possem curvo di- gnoscere rectum Atque inter silvas Academi *quaerere verum*.	Et datur occultum per proxima *quaerere verum*.
ep. II. 1. 124:	C. S. I. 524:
Militiae quamquam piger et malus, *utilis urbi*.	Laurea victoris Marii minus *utilis urbi*.
[Sch.] c. I. 7. 31: nunc vino *pellite curas!*	C. S. II. 124: terrenas animo *depellite curas!*
[Sch.] ep. I. 3. 8:	C. S. II. 167:
Bella quis et paces *longum* dif- fundit *in aevum?*	ego contra Spero, quod extra aciem *lon- gum* servatur *in aevum?*
ep. II. 3. 10: Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit *aequa potestas*.	C. S. II. 415: quae forma placeret Inperii, quae regnandi foret *aequa potestas*.
epod. II. 40:	Perist. II. 84:
Quodsi pudica mulier in par- tem iuvet. Donum atque *dulces liberos*.	Et summa pietas creditur Nudare *dulces liberos*.

Horatius.	Prudentius.
[Sch.] c. I. 2. 13: *Vidimus* flavum Tiberim retortis Litore Etrusco violenter undis Ire deiectum monumenta regis.	Perist. IV. 137: *Vidimus* partem iecoris revulsam Ungulis longe iacuisse pressis.
c. I. 35. 14: Iniurioso ne pede proruas Stantem columnam, neu *populus frequens* Ad arma, cessantes ad arma Concitet imperiumque frangat. c. II. 17. 25: volucrisque Fati Tardavit alas, cui *populus frequens* Laetum theatris ter crepuit sonum.	Perist. VII. 33: Nam Christi *populus frequens* Riparum sinuamina Stipato agmine sepserat.
ep. II. 2. 91: *Miserabile visu* Caelatumque novem Musis opus!	Perist. IX. 13: Innumeri circum pueri, *miserabile visu*, Confossa parvis membra figebant stilis.
c. II. 20. 6: Non ego *pauperum* *Sanguis parentum*, non ego, † quem vocas, Dilecte Maecenas, obibo.	Perist. X. 124: Absit, ut me *nobilem* *Sanguis parentum* praestet aut lex curiae.
[Sch.] c. I. 9. 17: *Donec virenti* canities abest.	Perist. XII. 36: Nunc pretiosa ruit per marmora lubricatque clivum, *Donec virenti* fluctuet colymbo.
ep. I. 1. 36: *Laudis amore* tumes.	Perist. XIII. 75: *Laudis amore* rapi, Christum sapere et fidem tueri.
c. III. 16. 19: Iure *perhorrui* Late conspicuum *tollere verticem*.	Perist. XIV. 118: *Nec* victus *audet tollere verticem*.

Horatius.	Prudentius.
ep. II. 2. 165: fortasse trecentis Aut etiam supra nummorum *milibus emptum.*	Dittoch. 19: in terris quoniam peregrina moratur *Iustitia atque Fides:* hoc illi *milibus emptum.* Spelaeum, sanctae requies ubi parta favillae est.
[Sch.] c. I. 24. 6: Cui Pudor et *Iustitiae soror,* Incorrupta *Fides,* nudaque Veritas Quando ullum inveniet parem?	
ep. I. 6. 43: 'tamen et quaeram et quot habebo Mittam'; post paulo scribit, sibi *milia quinque* Esse domi chlamydum.	Dittoch. 146: His hominum large saturavit *milia quinque.*
ep. II. 2. 199: Pauperies inmunda tamen *procul absit.*	Apoth. 487: lotus *procul absit* et unctus. C. S. I. 39: Utque superstitio veterum *procul absit* avorum. Cath. III. 58: *Absit* enim *procul* illa fames. Cath. III. 176: Haustus amarus *abesto procul!* Cath. VI. 137: *Procul,* o *procul* vagantum Portenta sompniorum, *Procul esto* pervicaci Praestigiator astu!
epod. V. 87 sq.: Venena maga non *fas nefasque* non valent Convertere *humanam vicem.*	Cath. III. 134: *Fas nefasque* simul glomerans, Inpia crimina morte luit.

Horatius.	Prudentius.
c. III. 1. 14: aequa lege Necessitas Sortitur insignes et imos.	Cath. VII. 214: Unam paremque sortis *humanae vicem* Inter potentes atque egenos ducere.
[D.] epod. II. 48: *Dapes inemptas* adparet.	Cath. IV. 58: Cernit forte procul *dapes inemptas.*

Sed in hoc loco constitui non potest, utrum Horatium imitatus sit Prudentius, an Vergilii Georg. IV. 133:

Dapibus mensas onerabat *inemptis.*

sat. II. 3. 3: Iratus tibi, quod *vini somnique* benignus Nil dignum sermone canas.	Cath. VII. 12: *Vini atque sompni* degener socordia.
epod. V. 91: Quin, ubi *perire iussus* exspiravero, — — —	Cath. VII. 111: *Iussus perire* solus e cunctis reus.
epod. II. 1: *Beatus ille,* qui procul negotiis	Cath. IX. 19: O *beatus* ortus *ille,* virgo cum puerpera Edidit nostram salutem.
c. I. 1. 2: Maecenas atavis edite regibus, *O et praesidium et dulce decus meum.*	Apoth. 393: *O* nomen prae*dulce* mihi, lux *et decus* et spes, *Praesidiumque meum* — — —
c. I. 14. 3: *Nonne vides, ut* Nudum remigio latus — — —	Apoth. 479: *Nonne vides, ut* turibulis frigentibus ignis Marceat? [D.] Psych. 617: *Nonne vides, ut* nulla avium cras cogitet?

Horatius.	Prudentius.
ep. I. 16. 79: Mors *ultima linea* rerumst.	Apoth. 812: Incomprensa manet virtus, cui *linea* defit *Ultima*, quam spatium non mensurabile tendit.
sat. II. 3. 166: *Quid enim differt*, barathrone Dones quidquid habes? an nunquam utare paratis?	Ham. 42: *Quid enim differt* generatio simplex?
c. III. 2. 13: *Dulce* et decorumst pro patria *mori*.	Ham. 154: *Dulce mori est*, tanta in tenebris de peste voluptas!
[Sch.] ep. II. 2. 105: Obturem *patulas* impune legentibus *aures*. ep. I. 18. 70: Nec retinent *patulae* conmissa fideliter *aures*.	Ham. 318: Num propter lyricae modulamina vana puellae Nervorumque sonos et convivale calentis Carmen nequitiae *patulas* Deus addidit *aures?*
epod. VII. 1: *Quo*, quo scelesti *ruitis?*	Psych. 352: Quis furor insanas agitat caligine mentes, *Quo ruitis?* cui colla datis?
Sat. II. 1. 10: Aut, *si tantus amor* scribendi te rapit — — —	C. S. II. 335: Quamquam *si tantus amor* est et cura vetusti, — — — Perist. VI. 133: Fratrum *tantus amor* domum referre Sanctorum cinerem dicata dona.
c. I. 7. 2: Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen, Aut Epheson, *bimarisve Corinthi* Moenia, — — —	C. S. II. 352: Hoc signum rapuit *bimaris* de strage *Corinthi*.

Horatius.	Prudentius.
ep. II. 1. 191: Mox trahitur *manibus* regum fortuna *retortis*.	C. S. II. 560: Ad iuga depressos *manibusque* in terga *retortis*.
c. III. 5. 22: Vidi ego civium *Retorta* tergo *brachia* libero.	Perist. X. 851: Et iam *retortis brachiis* furca eminus Romanus actus ingerebatur rogo.
ep. II. 3. 246: Aut *nimium teneris iuvenentur* versibus umquam.	Perist. III. 24: Moribus et *nimium teneris* Canitiem meditata *senum*.
ep. I. 16. 57: Vir bonus, *omne forum* quem spectat et omne tribunal.	Perist. III. 177: Ecce nivem glacialis hiems Ingerit et tegit *omne forum*.
sat. I. 4. 75: *In medio* qui Scripta *foro* recitent, sunt multi.	Perist. X. 398: Et, quod fateri cogor, *in medio foro*, Tacente memet, ac perorat perditus.
[Sch.] c. I. 34. 6: namque Diespiter *Igni corusco* nubila dividens . . .	Perist. IV. 28: Ardet et splendor parilis duorum *Igne corusco*.
c. I. 28. 3: Pulveris exigui *prope litus* parva Matinum Munera.	Perist. IV. 99: dederit sepulcri Gloriam victor *prope litus* altae Forte Sagunti.
ep. I. II. 63: Imperat: *hunc* frenis, *hunc* tu compesce catena.	Perist. V. 169: Hunc, *hunc* lacesse, *hunc* discute.
ep. I. 10. 4: quidquid negat *alter et alter*.	Perist. VIII. 18: Evectus gladiis *alter et alter* aquis.
sat. I. 5. 42: animae, quales neque candidiores *Terra tulit*, neque quis me sit devinctior alter.	Perist. XIII. 1: Punica *terra tulit*, quo *splendeat omne*, quidquid usquam est.

Horatius.	Prudentius.
c. III. 16. 30: et segetis *certa fides* meae Fulgentem imperio fertilis Africae Fallit sorte beatior.	Dittoch. 42: *Certa fides* facti.
c. III. 1. 19: non Siculae dapes *Dulcem* elaborabunt *saporem.*	Dittoch. 52: gurgitem in istum Conicite, in *dulcem* vertentur amara *saporem.*
ep. II. 2. 121: Vemens et liquidus puroque simillimus amni *Fundet opes* Latiumque beabit *divite lingua.*	Cath. III. 51: *Fundit opes* ager ingenuas *Dives* aristiferae segetis. C. S. I. 634: Romani decus eloquii, cui cedat et ipse Tullius, has *fundit dives facundia gemmas!*
[D.] c. I. 15. 17: Nequiquam thalamo graves Hastas et *calami spicula Cnosii* Vitabis.	Cath. V. 52: ille volantia Praefigit *calamis spicula Gnosiis.*
epod. VII. 15: Tacent, et *albus ora pallor inficit.*	Cath. IX. 41: Protinus salus secuta est, *ora pallor deserit.* Cath. X. 97: Haec, quae modo *pallida* tabo *Color albidus inficit ora,* Tunc flore venustior omni — — — Psych. 702, 704: nam *pallor in ore* Conscius audacis facti dat signa reatus,

Horatius.	Prudentius.
	Et deprensa tremunt languens manus et *color albens.*
	Cath. VIII. 28:
	Neve subducto faciem rubore Luteus tingat color aut notetur *Pallor in ore.*
c. II. 2. 13 sqq.	[D.] Cath. VIII. 62:
Crescit indulgens sibi dirus *hydrops*	Ergo ne limum fragilem solutae
Nec sitim pellit, nisi causa morbi	Deserant vires *et aquosus albis*
Fugerit *venis et aquosus albo* Corpore languor.	*Humor in venis* dominetur — — —
	Perist. II. 239:
	Hydrops aquosus lucido Tendit veneno intrinsecus.
sat. II. 7. 86:	Apoth. 210:
Fortis et in se ipso totus, teres *atque rotundus.*	Quis ad arbitrium sphera mobilis *atque rotunda* Volvatur. — — —
sat. II. 3. 325:	C. S. I. Praef. 63:
Mille puellarum, puerorum *mille furores.*	Vix portu placido tuba quieverat, Victrix edomitis *mille furoribus.*
sat. I. 1. 22:	C. S. I. 83:
neque se fore posthac Tam *facilem* dicat, votis ut *praebeat aurem?*	infelix *facilem* gens *praebuit aurem.*
sat. I. 6. 11:	C. S. I. 594:
Et vixisse probos amplis *et honoribus auctos.*	Praemia virtutum titulis *et honoribus aucti* Ardua rettulerint.
sat. I. 1. 3, 109:	C. S. II. 87:
Contentus vivat, laudet *diversa sequentes?* Se probet ac potius laudet *diversa sequentes.*	Sed qui sit qualisque deus, *diversa secuti* Quaerimus.

Horatius.	Prudentius.
ep. II. 1. 136: Avertit morbos, *metuenda pericula pellit.*	C. S. II. 389: fida ut tutacula nudis Invalidisque paret, *metuenda pericula vitet.*
sat. II. 3. 2: Si raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas, scriptorum *quaeque retexens* — — —	C. S. II. 580: res laetas et prospera *quaeque retexis.*
sat. I. 8. 16: quomodo tristes Albis informem spectabant *ossibus agrum.*	C. S. II. 720: Quae Pollentinos texerunt *ossibus agros.*
C. III. 3. 12: Purpureo *bibet ore* nectar.	Perist. III. 160: Appetit et *bibit ore* rogum.
c. I. 2. 15: Ire deiectum *monumenta regis.*	Perist. IV. 46: Ingeret Tingis sua Cassianum Festa Massylum *monumenta regum.*
epod. VIII. 12: funus atque imagines Ducant *triumphales tuum.*	Perist. V. 2: Beate martyr, prospera Diem *triumphalem tuum.*
c. III. 5. 38: Hic, unde vitam sumeret anxius, Pacem duello miscuit, *o pudor!*	Perist. V. 129: Quis vultus iste? *proh pudor!*
c. IV. 13. 12: et refugit te, quia luridi Dentes te, quia rugae Turpant et *capitis nives.*	Praef. 27: Quam multas hiemes volverit et rosas Pratis post glaciem reddiderit, *nix capitis* probat.
epod. II. 17: Vel cum decorum *mitibus pomis* caput Autumnus agris extulit.	Cath. III. 76: Hinc quoque *pomiferi* nemoris Munera *mitia* proveniunt.

Horatius.	Prudentius.
sat. I. 8. 33: Cerea suppliciter stabat, *servilibus* ut quae Iam *peritura modis.*	Cath. III. 115: Ut socium malesuada virum Mandere cogeret ex vetitis Ipsa *pari peritura modo.*
c. III. 20. 10: haec *dentes acuit timendos.*	Cath. IV. 80: Quae circum fremit ac vorare temptat *Insanos acuens* furore *dentes.*
[Sch.] c. III. 13. 15: Me dicente cavis impositam ilicem *Saxis,* unde *loquaces* Lymphae desiliunt tuae.	Cath. V. 89: Cui ieiuna eremo *saxa loquacibus* Exundant scatebris.
epod. XVII. 77: *Ut ipse nosti* curiosus — — —	Cath. VI. 147: Signum, *quod ipse nosti,* Dampnat tuam catervam.
epod. XVII. 22: Et verecundus color Reliquit ora *pelle amicta* lurida.	Cath. VII. 62: *Amictus* hirtis bestiarum *pellibus.*
c. IV. 12. 23: non ego te meis Inmunem meditor *tinguere poculis.*	Cath. IX. 30: Ipse rex sapore *tinctis* obstupescit *poculis.*
c. I. 16. 23: Temptavit in *dulci iuventa* Fervor — — —	Cath. IX. 43: Exitu *dulcis iuventae* raptum ephebum viderat.
[Sch.] c. I. 5. 2: Quis multa gracilis te puer in rosa Perfusus *liquidis* urget *odoribus* Grato, Pyrrha, sub antro?	Cath. X. 172: Titulumque et frigida saxa *Liquido* spargemus *odore.* Psych. 787: hoc solo sancta ad donaria vultum Munere convertens *liquido* oblectatur *odore.*
sat. I. 5. 43: O qui complexus et *gaudia quanta* fuerunt!	Cath. XI. 57: *O quanta* rerum *gaudia* Alvus pudica continet!

Horatius.	Prudentius.
epod. XVI. 47: *Mella* cava *manant ex ilice.*	Cath. XI. 73: Iam *mella* de scopulis fluunt, Iam *stillat ilex* arido Sudans amomum stipite.
c. IV. 7. 25: Infernis neque enim *tenebris* Diana pudicum *Liberat* Hippolytum.	Cath. XII. 164: At nos subactos iugiter Erroris imperio gravi Dux noster hoste saucio *Mortis tenebris liberat.*
ep. II. 1. 26: Pontificum libros, annosa *volumina vatum* Dictitet — — —	Apoth. 219: Quique *voluminibus vatum* cruce teste probatis.
c. III. 19. 12: tribus aut novem *Miscentor* cyathis *pocula* commodis.	Apoth. 431: feritasque cruenta Geloni Lacte mero sitiens exanguia *pocula miscet.*
epod. V. 45: Quae sidera *excantata voce Thessala* Lunamque caelo deripit.	Apoth. 477: Nil agit arcanum murmur, nil *Thessala* prosunt *Carmina,* turbatos revocat nulla hostia manes. Perist. X. 869: «Inludet», inquit, «*Thessalorum carmine*» Paenam peritus vetere in ludibrium.
sat. II. 3. 97: Clarus erit, fortis, *iustus. Sapiensne?* Etiam, *et rex.*	Apoth. 803: Quod *sapiens iustique* capax *reginaque* rerum Imperat — — —
c. I. 1. 36: Quodsi me lyricis vatibus inseres,	Ham. 130: Marcionita deus, tristis, ferus, insidiator,

Horatius.	Prudentius.
Sublimi feriam sidera vertice.	*Vertice sublimis*, cinctum cui nubibus atris Anguiferum caput. — — —
	[Sch.] Ham. 111: Unus, ais, tristi *residet sublimis in arce.*
c. I. 35. 4: vel superbos Vertere *funeribus triumphos.*	Ham. 148: Porro giganteis alios luctando lacertis Frangere, *funereos* late exercere *triumphos.*
ep. II. 3. 111: Post effert animi motus *interprete lingua.*	Ham. 327: Deus cognoscere nosmet Attactu voluit palpandi *interprete sensu.*
c. III. 3. 65: Ter *si resurgat murus* aheneus Auctore Phoebo, ter pereat — — —	Ham. 481: Si domitam Iericon lituis atque aere canoro *Rursus* in antiquos patitur *consurgere muros?*
c. II. 13. 19: sed *inprovisa leti* Vis *rapuit* rapietque gentes.	Ham. 536: Praepes enim volucres dum pennis transvolat auras *Inprovisa* venit, nec stridor nuntiat ante Adventum *leti*, quam pectoris abdita rumpat Securam *rapiens* medicato vulnere vitam.
c. I. 37. 28: ut *atrum* Corpore *conbiberet venenum.*	Ham. 609: ab ore Vipereo infusum sic *conbibit* illa *venenum.*
	Perist. X. 1040: Donec *cruorem* totus *atrum conbibat.*

Horatius.	Prudentius.
c. I. 10. 10: Te, boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas, puerum *minaci* *Voce* dum *terret*, viduus pharetra Risit Apollo.	Ham. 947: Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum, Inmitem, rabidum, vultuque et *voce minaci* *Terribilem*, qui — — —
[D.] c. I. 8. 6: Cur neque militares Inter aequales equitat, Gallica nec *lupatis* Temperat *ora frenis?*	Psych. 191: Inpatiens madidis *frenarier ora lupatis.*
epod. XVII. 44: *Adempta* vati reddidere *lumina.*	Psych. 482: hunc *lumine adempto* Effossisque oculis velut in caligine noctis Caecum errare sinit.
c. I. 28. 7: Occidit et Pelopis genitor, *conviva Deorum.*	Psych. 531: Magnus qui discipulorum Et *conviva Dei*, dum fallit foedere — — —
sat. I. 3. 31: rideri possit eo, quod Rusticius tonso *toga defluit* et male laxus In pede calceus haeret.	Psych. 634: *Vestis* adusque pedes descendens *defluit* imos.
c. IV. 6. 15: Troas et *laetam* Priami *choreis* Falleret aulam.	Psych. 688: Ipsa redimitos olea frondente capillos Ostentans festis respondet *laeta choreis.*
epod. XII. 9: cum pene soluto *Indomitam* properat *rabiem sedare.*	Psych. 697: Quid iuvat, *indomitos* bello *sedasse furores?*
c. s. 60: adparetque beata *pleno* Copia *cornu.*	C. S. I. 205: Formatum Fortunae habitum cum *divite cornu.*

Horatius.	Prudentius.
c. I. 1. 17: mox reficit *rates* *Quassas*, indocilis pauperiem pati.	C. S. II. Praef. 10: Iactatam *quatiat ratem.*
c. II. 11. 9: Non semper idem *floribus* est honor *Vernis.*	C. S. II. 7: Armorum dominos, *vernantes flore* iuventae.
c. I. 34. 8: per purum tonantes Egit equos *volucremque currum.*	C. S. II. 55: Raptavit iuvenem *volucri* per litora *curru.*
ep. II. 37: I, bone, quo virtus tua te vocat, i *pede fausto,*	C. S. II. 79: cessisse parentibus omne Idolium semper feliciter et *pede dextro.*
c. IV. 9. 41: Sed quotiens bonus atque fidus Iudex *honestum praetulit utili.*	C. S. II. 158: ne *praeferat utile iusto,* Spemque in me omnem statuat.
[Sch.] sat. I. 10. 43: *forte* epos *acer* Ut nemo, Varius ducit.	C. S. II. 161: Haec igitur spondente Deo quis *fortis et acer* Virtutisque capax? — — —
[Sch.] c. IV. 5. 1: Divis orte bonis, optime *Romulae* Custos *gentis,* abes iam nimium diu.	C. S. II. 298: Ipsa casas fragili texat *gens Romula* culmo.
c. s. 47: *Romulae genti* date remque prolemque, Et decus omne.	Perist. XII. 57: Adspice, per bifidas *plebs Romula* funditur plateas.
c. IV. 7. 3: *Mutat* terra *vices* et — — —	C. S. II. 318; Sic *variat* natura *vices.*
c. II. 1. 16: Cui laurus aeternos honores Delmatico *peperit triumpho.*	C. S. II. 348: Innumeros post deinde deos virtute subactis Urbibus et claris *peperit* sibi Roma *triumphis.*

Horatius.	Prudentius.
[D.] c. III. 2. 29: *fragilemve* mecum Solvat *phaselon.*	C. S. II. 530: Instíterant tenues cumbae *fra- gilesque phaseli* *Inter turritas* Memphitica rostra *Liburnas.*
epod. I. 1: Ibis *Liburnis inter alta* navium, Amice, propugnacula.	
[D.] c. III. 27. 1, 11: Inpios *parrae* recinentis omen Ducat — — — *Oscinem corvum* prece suscitabo Solis ab ortu.	C. S. II. 571: Cur Cremerae in campis *cornice vel oscine parra* Nemo deum monuit perituros Marte sinistro Tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno?
sat. II. 2. 3: *Rusticus*, abnormis *sapiens* cras- saque Minerva.	C. S. II. 1020: O felix nimium, *sapiens et rusticus idem.*
c. II. 7. 12: Cum *fracta virtus* et minaces *Turpe solum* tetigere mento.	Perist. I. 49: Tunc et ense *caesa virtus triste* percussit *solum.*
[Sch.] c. IV. 10. 3: Et, quae nunc *humeris involi- tant*, deciderint comae.	Perist. III. 152: Crinis odorus ut in iugulos Flexerat *involitans humeris.*
c. I. 12. 21: *Neque te silebo,* Liber, et saevis inimica virgo Beluis.	Perist. IV. 181: Additis Caio, *nec enim silendi,* Teque Crementi.
c. I. 1. 6: palmaque nobilis Terrarum dominos *evehit ad deos.*	Perist. V. 7: Hic te ex tenebris saeculi Tortore victo et iudice *Evexit ad caelum* dies.
ep. II. 3. 115: Maturusne senex an adhuc *florente iuventa* *Fervidus.*	Perist. V. 47: Nec te *iuventae fervidae* Instans periclum permovet?

Horatius.	Prudentius.
sat. I. 9. 35: *Ventum erat ad* Vestae, quarta iam parte diei Praeterita.	Perist. V. 213: *Ventum ad* palaestram gloriae.
c. II. 19. 21 sq.: Tu, cum *parentis regna per arduum* Cohors Gigantum *scanderet* inpia, Rhoetum retorsisti — — —	Perist. VI. 97: Felices animae, quibus *per ignem* *Celsa scandere* contigit *tonantis.* Perist. VIII. 7: Qui cupit aeternum *caeli conscendere regnum,* Huc veniat sitiens, ecce parata via est. Ante coronati *scandebant ardua* testes Atria — — —
c. III. 27. 23: Sentiant motus orientis austri et *Aequoris* nigri *fremitum* et trementes Verbere ripas.	Perist. VII. 59: Calcare *fremitum maris,* Prona et flumina sistere.
[Sch.] c. I. 7. 22: Teucer Salamina patremque Cum fugeret tamen *uda Lyaeo* Tempora populea fertur vinxisse corona.	Perist. VIII. 14: Exundatque suo iugiter *uda Deo.*
sat. II. 6. 77: Cervius haec inter vicinus garrit *aniles* Ex re *fabellas.*	Perist. IX. 18: Quod prospicis, hospes, Non est inanis aut *anilis fabula.*
c. I. 37. 21: daret ut catenis *Fatale monstrum.*	Perist. X. 77: *Infame monstrum,* vilis, intestabilis.
c. IV. 4. 1: Qualem ministrum *fulminis alitem*	Perist. XIV. 46: En *ales* ignis *fulminis* in modum

Horatius.	Prudentius.
Cui rex deorum regnum in aves vagas Permisit expertus fidelem Iupiter in Ganymede flavo.	Vibratur ardens atque oculos ferit. Perist. X. 150: Aquila ex eburna sumit adrogantiam Gestator eius ac superbit belluae Inflatus osse, *cui figura est alitis.*
c. I. 16. 2: Quem criminosis cumque voles *modum* *Pones* iambis. — — —	Perist. X. 554: Quibus sonandi nulla lex *ponit modum.*
c. III. 6. 28: neque eligit Cui donet inpermissa raptim Gaudia *luminibus remotis.*	Perist. X. 593: *Removete lumen!* dicit insanabilis.
ep. I. 19. 22: Libera per vacuum posui vestigia princeps, Non aliena meo *pressi pede.*	Perist. X. 947: Fluctus liquentis aequoris *pressit pede.*
c. III. 3. 22: ex quo destituit deos *Mercede pacta* Laomedon.	Perist. X. 970: nundinatum hunc arguit, *Mercede* certa *pactus* ut conluderet.
ep. II. 3. 279: Aeschylus et modicis *instravit pulpita tignis.*	Perist. X. 1016: *Tabulis* superne *strata* texunt *pulpita.*
ep. II. 2. 84: statua taciturnius exit Plerumque et visu *populum quatit.*	Perist. XI. 42: Illo namque die Roma secesserat, ipsos Peste suburbanos ut *quateret populos.*
sat. II. 7. 92: eripe turpi *Colla iugo.*	Perist. XI. 90—96: duo cogunt animalia freni Ignara insueto subdere *colla iugo,*

HORATIUS.

c. II. 5. 1 sqq.:

Nondum subacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia conparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. — — —

[Sch.] ep. I. 12. 19:

Quid velit et possit rerum *concordia discors.*

[Sch.] c. I. 4. 5:

Iam Cytherea choros *ducit* Venus *inminente* luna.

ep. I. 14. 38:

non odio obscuro *morsuque venenat.*

[Sch.] c. I. 1. 3—10, 23, 24:

Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;

PRUDENTIUS.

Non stabulis blandive manu palpata magistri
Imperiumque equitis *ante subacta pati,*
Sed campestre vago nuper pecus e grege captum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Iamque reluctantes sociarant vincula bigas,
Oraque *discordi foedere* nexuerant.

[Sch.] Perist. XIV. 22:

Paenam *subactis ferre* doloribus.

Perist. XII. 41:

Cyaneusque latex umbram *trahit inminentis* ostri.

Dittoch. 46:

Iamque *venenati* per vulnera livida *morsus*
Carpebant populum.

Cath. II. 41 sqq.:

Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum,
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.

Horatius.	Prudentius.
Illum si proprio condidit horreo, Quidquid de Libycis verritur areis. Multos castra iuvant et lituo tubae Permixtus sonitus bellaque matribus Detestata — — —	
c. III. 18. 13: *Inter audaces lupus errat agnos.*	Cath. III. 158: *Impavidas lupus inter oves* *Tristis obambulat* et rabidum Sanguinis inmemor os cohibet.
c. III. 3. 13: Hac te merentem, Bacche pater, tuae Vexere *tigres, indocili iugum* *Collo trahentes.*	Cath. III. 170: Agnus hiare lupum prohibes *Sub iuga tigridis ora premens.*
sat. II. 2. 77 sqq.: Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una, Atque adfigit humo divinae particulam aurae.	Cath. IV. 28 sqq.: Sed ne crapula ferveat cavendum est, Quae sedem fidei cibis refertam Usque ad congeriem coartet intus. Parvis victibus expedita corda Infusum melius deum receptant.
c. I. 2. 13 sqq.: Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco *violenter* undis Ire deiectum monumenta regis Templaque Vestae, Iliae dum se nimium querenti Iactat ultorem, *vagus* et sinistra Labitur *ripa* Iove non probante u- xorius amnis.	Ham. 241 ff.: Parte alia *violentus* aquis torrentibus amnis Transilit obiectas praescripta repagula *ripas,* Et *vagus* eversis late dominatur in agris.

Horatius.	Prudentius.
c. III. 5. 5 sqq.: Milesne Crassi coniuge barbara Turpis maritus vixit et hostium, Pro curia inversique mores! Consenuit socerorum in armis Sub rege Medo Marsus et Apulus, Anciliorum et nominis et togae Oblitus aeternaeque Vestae, Incolumi Iove et urbe Roma?	Ham. 455 sqq.: Illic natali desuescunt vivere ritu, Moribus et patriis exutae in barbara iura Degenerant, linguamque novam vestemque sequuntur.
ep. I. 12. 4: Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus. Si ventri bene, si laterist, pedibusque tuis, nil Divitiae poterunt regales addere maius.	Psych. 609: Summa quies, nil velle super, quam postulat usus Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus, Expletumque modum naturae non trahat extra.
c. III. 3. 7 sq.: Si *fractus* inlabatur *orbis*, *Impavidum* ferient *ruinae*.	Perist. IV. 6: Plena magnorum domus angelorum *Non timet mundi fragilis ruinam.*
c. s. 11: possis *nil urbe Roma* *Visere maius!*	Perist. IX. 3: cum peterem te *rerum maxima Roma*, Spes est oborta, prosperum Christum fore.
c. III. 27. 37: *Levis una mors est* Virginum culpae.	Perist. X. 878: Ne *morte simpla* criminosus multiplex Cadat, vel *una* perfidus *caede oppetat.*

Vidimus igitur Prudentium variis modis et verbis locutionibusque et ipsis sententiis Horatium imitatum esse sat multis locis, neque mirum eum lyrica inprimis Horatii carmina secutum esse: velut ex epodon libri carminis V. similitudine novem vel decem Prudentii loci conformati sunt. Sed etiam nonnulla Horatii, quae recipere non potuit nisi immutata ex suorum temporum sententia, poeta Christianus non respuit, conversa in usum suum recepit, nonnunquam Horatium deorum cultorem impugnavit.

Index locorum.

Horatius.	Prudentius.	Pag.	Horatius	Prudentius	Pag.
C. II. 19. 8.	Per. X. 280.	23	C. IV. 4. 15.	Per. X. 6[illegible]	[illegible]
» 19. 22.	Per. VI. 97. VIII. 7.	42	» 4. 65.	Cath. VI[illegible] 18. Ap[illegible]	[illegible]
» 20. 1.	Cath. VII. 56.	27	» 5. 1.	C. S. II. [illegible]	[illegible]
» 20. 6.	Per. X. 124.	29	» 5. 5.	Cath. V. [illegible] 618.	[illegible]
» 20. 21.	Cath. XI. 34.	10	» 5. 5.	Per. III. 8[illegible]	[illegible]
C. III. 1. 19.	Ditt. 52.	34	» 6. 15.	Ps. 688.	[illegible]
» 2. 12.	Ps. 110.	25	» 7. 3.	C. S. II. 318.	[illegible]
» 2. 13.	Ham. 154.	32	» 7. 25.	Cath. XII. 164.	[illegible]
» 2. 29.	C. S. II. 530, 531.	41	» 9. 41.	C. S. II. 158.	[illegible]
» 2. 32.	C. S. II. 181.	23	» 10. 3.	Per. III. 152.	[illegible]
» 3. 7.	Per. IV. 6.	47	» 12. 23.	Cath. IX. 7.	[illegible]
» 3. 12.	Per. III. 160.	36	» 13. 12.	Prf. 27.	3[illegible]
» 3. 13.	Cath. III. 170.	46	» 15. 15.	Ap. 425. Per. XIII. 102.	12
» 3. 22.	Per. X. 970.	44	C. saec. 11.	Per. IX. 3.	47
» 3. 65.	Ham. 481.	39	» 26.	C. S. II. 303. Ham. 660.	6
» 3. 66.	Per. II. 416.	7	» 26.	Per. X. 83.	6
» 5. 5.	Ham. 455.	46	» 33.	C. S. II. 681.	22
» 5. 22.	Per. V. 109. X. 851.	33	» 47.	C. S. II. 298. Per. XII. 57.	41
» 5. 38.	Per. V. 129.	36	» 53.	Cath. VI. 85.	9
» 5. 49.	Per. I. 47. IV. 121.	21	» 60.	C. S. I. 205.	40
» 6. 28.	Per. X. 593.	44	epod. 1. 1.	C. S. II. 530, 531.	41
» 8. 9.	Ap. 350.	20	» 2. 1.	Cath. IX. 19.	31
» 12. 3.	Ap. 404.	27	» 2. 17.	Cath. III. 76.	36
» 13. 15.	Cath. V. 89.	37	» 2. 40.	Per. II. 84.	29
» 16. 19.	Per. XIV. 118.	30	» 2. 48.	Cath. IV. 58.	31
» 16. 30.	Ditt. 42.	34	» 5. 2.	Cath. I. 55. Per. II. 204. V. 46.	25
» 18. 13.	Cath. III. 158.	46	» 5. 45.	Ap. 477. Per. X. 869.	38
» 19. 12.	Ap. 431.	38	» 5. 73.	Cath. VII. 56.	27
» 20. 10.	Cath. IV. 80.	37	» 5. 87.	Cath. III. 134.	31
» 23. 3.	Per. X. 261.	22	» 5. 88.	Cath. VII. 214.	31
» 23. 12.	Ap. 461. Ps. 402.	12	» 5. 91.	Cath. VII. 111.	31
» 25. 20.	Cath. III. 26.	42	» 5. 94.	Cath. I. 49.	25
» 27. 1, 11.	C. S. II. 571.	23	» 5. 95.	Cath. VII. 20.	24
» 27. 23.	Per. VII. 59.	43	» 7. 1.	Ps. 352.	32
» 27. 37.	Per. X. 878.	47	» 7. 15.	Cath. VIII. 28. IX. 41. X. 97.	34
» 27. 39.	Cath. III. 140.	8	» 7. 15.	Ps. 702, 704.	36
» 27. 59.	Per. X. 1108.	3			
C. IV. 2. 20.	Cath. VIII. 32. Ps. 603.	27			
» 4. 1.	Per. X. 150. XIV. 46.	43			

Horatius.	Prudentius.	Pag.
[illegible]	[illegible].	36
[illegible]	[illegible]7.	40
[illegible]	[illegible] V. 42.	8
[illegible]	Per. XIII. 44.	23
[illegible]	Cath. XI. 73.	38
[illegible]50.	Cath. VII. 58.	27
17. 22.	Cath. VII. 62.	37
17. 44.	Ps. 482.	40
» 17. 77.	Cath. VI. 147.	37
sat. I. 1. 3, 109.	C. S. II. 87.	35
» 1. 22.	C. S. I. 83.	35
» 3. 31.	Ps. 634.	40
» 4. 75.	Per. X. 398.	33
» 5. 42.	Per. XIII. 1.	33
» 5. 43.	Cath. XI. 57.	37
» 5. 87.	Ham. 82.	28
» 6. 6, 45, 46.	Ap. 271.	27
» 6. 11.	C. S. I. 594.	35
» 8. 16.	C. S. II. 720.	36
» 8. 33.	Cath. III. 115.	37
» 9. 35.	Per. V. 213.	42
» 10. 43.	C. S. II. 161.	41
sat. II. 1. 10.	C. S. II. 335. Per. VI. 133.	32
» 2. 3.	C. S. II. 1020.	42
» 2. 77.	Cath. IV. 28.	46
» 3. 3.	Cath. VII. 12.	31
» 3. 97.	Ap. 803.	38
» 3. 166.	Ham. 42.	32
» 3. 183.	C. S. I. 102.	13
» 3. 274.	Ap. 980.	28
» 3. 325.	C. S. I. Prf. 63.	35
» 4. 19.	C. S. I. 127.	7
» 4. 63.	Ap. 952.	28
» 6. 77.	Per. IX. 18.	43
» 7. 86.	Ap. 210.	35
» 7. 92.	Per. XI. 90.	44

Horatius.	Prudentius.	Pag.
sat. II. 8. 95.	Ditt. 45.	16
ep. I. 1. 36.	Per. XIII. 75.	29
» 2. 63.	Per. V. 169.	33
» 3. 3.	Ap. 428.	24
» 3. 8.	C. S. II. 167.	28
» 6. 43.	Ditt. 146.	30
» 7. 44.	Per. XI. 152.	25
» 10. 4.	Per. VIII. 18.	33
» 12. 4.	Ps. 609.	47
» 12. 19.	Per. XI. 96.	45
» 14. 38.	Ditt. 46.	45
» 16. 57.	Per. III. 177.	33
» 16. 79.	Ap. 812.	32
» 13. 9.	Ap. 1018. C. S. I 191.	21
» 18. 70.	Ham. 318.	32
» 19. 22.	Per. X. 947.	44
» 1. 26.	Ap. 219.	38
ep. II. 1. 124.	C. S. I. 524.	28
» 1. 136.	C. S. II. 389.	36
» 1. 191.	C. S. II. 560.	33
» 2. 37.	C. S. II. 79.	41
» 2. 45.	Ham. 84.	28
» 2. 84.	Pr. XI. 42.	44
» 2. 91.	Pr. IX. 13.	29
» 2. 105.	Ham. 318.	32
» 2. 121.	Cath. III. 51. C. S. I. 634.	34
» 2. 165.	Ditt. 19.	30
» 2. 199.	Cath. III. 58, 176.	30
» 2. 199.	Cath. VI. 137, 139.	30
» 2. 199.	Ap. 487. C. S. I. 39.	30
» 3. 10.	C. S. II. 415.	28
» 3. 111.	Ham. 327.	39
» 3. 115.	Per. V. 47.	42
» 3. 246.	Per III. 24.	33
» 3. 279.	Per. X. 1016.	44

Vita scriptoris.

Hermannus Breidt natus sum in urbe Pforzheim die XXVIII. mensis Decembris a. MDCCCLXIII patre Carolo, adhuc superstite, matre Carolina e gente Lichtenfels, quam mortuam lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus sum in gymnasio urbis patriae ab anno 1873 usque ad annum 1882. Testimonium maturitatis adeptus autumno anni 1882 Heidelbergam me contuli; ubi per annum militavi et, quantum temporis Mars relinquebat, studiis philologicis occupatus eram, quae in eadem urbe per tres annos insequentes colui. Interfui scholis virorum illustrium Bartsch, Brandt, de Duhn, Erdmannsdörffer, Fischer, Osthoff, Schöll, Uhlig, Wachsmuth, Zangemeister. Sodalis fui seminarii philologici Heidelbergensis per quattuor semestria ordinarius. Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt Brandt philologicis, de Duhn archaeologicis, Uhlig Aristotelicis, metricis, paedagogicis, Zangemeister epigraphicis. Praeceptoribus meis debitas ago gratias.

Typis C. F. Winteri.